DE FEBRIUM NERVOSARUM AUCTORUM DEUTEROPATHIA POTIUSQUAM...

Francesco Luigi Martinolli



DE FEBRIUM NERVOSARUM AUCTORUM DEUTEROPATHIA POTIUSQUAM PROTOPATHIA

AD AEGROTANTIUM LECTULOS COMPROBATA

DISCEPTATIUNCULA

QUAM PUBLICE HABUIT

FRANCISCUS ALOYSIUS MARTINOLLI

AD

MEDICINAE LAUREAM

CAPESSENDAM

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX



VIRO ILLUSTRI CELEBERRIMO

FRANCISCO AGLIETTI VENETO

S. C. R. A. M. IN GUBERNIO VENETO A CONSILIIS
SANITATIS VENETIARUM ANTEHAC PROTOPHYSICO
REGII INSTITUTI ITALICI SCIENTIARUM LITERARUM ARTIUM
MEMBRO PENSIONARIO
ACADEMIARUM PLURIMARUM ILLUSTRIUM NATIONALIUM ET EXTERARUM
SODALI ETC. ETC. ETC.

F. ALOYSIUS MARTINOLLI

VENETUS

F.

Miraberis profecto, Spectatissime Vir, pauxillum hoc scriptum scholastica ratione propositum me Tibi nuncupandum eligisse, quum sciam inter istiusmodi perpauca exstare, quae doctorum hominum attentionem merentur; neque ignorem quantum humillimi auctoris sui inopia a Tua sapientia distet; sed quum tibi suadeas me inter doctrinae, qua fulges, admiratores non infimum nunquam exstitisse, meque patriae cultorem, cujus decus et ornamentum perpetuo vocaberis, semper fuisse, et,

quod maximo mihi honori adscribitur, sub Tuis auspiciis praxeos medicae leges interpretari ad lectulos aegrotantium optare, mirari fortasse desines, quod a Te mihi pervelim ignosci.

Valeat sub nominis Tui aegide sacra, hic primus studiorum meorum fructus publicam tolerare lucem, quaeque pro Academicarum legum jure elucubrare studui, non indigna nuncupationi serviant; et patrocinium quod semper exoptavi, venerabundo auctori libenter concedito et Vale.

Dabam Patavii sexto Idus Januarii MDCCCXXX.

PROOEMIUM

Honorem quem aggredior, Sapientissimi Viri, quorum sanctiores disciplinae in hac pervetusta scientiarum sede traduntur mihique praesertim summa cum benevolentia expositae fuerunt ad metam jam desideratam perduxere, in animo grate persentio, ita ut memoria nusquam debilis sit affirmare audeam suasusque sim. Lex Academica vetat juvenem Candidatum laurea corona honestandum, hac ipsa nequaquam insigniri posse nisi studiorum suorum specimen et fructum publici juris faciat, meaque sententia fuit nil magis medicorum studia promovere, quam publicum emolumentum quod jure et merito meditationi studiisque tribuitur. Ego certe credo nil addere pro meis elucubrationibus Medicinae liceat, cum imperitiae meae cognitio, mihi metipsi non desit, et hac veritate prehensus, labori for-

tasse animus respondere nequibat. Sed cogitanti mihi quam arduum sit tyroni de re medica disserere, non verum licet arma deponere intellexi, quoniam multa ferre oporteat, scio, et meritorum vestrorum jam satis reminiscor. Quum itaque hoc meum sit munus, praxeos argumentum selegi, qua scilicet magis idoneum ad aegrotantium inquisitionem, nusquam satis sane institutam, promovendam. Nervosae febres auctorum multarum quaestionum intra medicinae cultores parentes a Brunone usque ad nos vel essentiales hyposthenicae semper judicatae, non negamus magni fuisse in praxi discriminis; quod si aliqui pro symptomaticis eas habuerint, hi marte suo intelligere secundarias affectiones judicati fuere, sed injuste; nam permulta argumenta huic doctrinae favent uti ex praxi colligimus, dummodo sit modus in observando, mensque medici veritatem diligat ut eam valeat detegere. Quae igitur mihi clinices alumno protulerunt observata collegi, atque in unum duxi, mihique jugiter suasus sum, majorem utilitatem studiis meis ab hac observationum specie redundare quam a speculativis neotericorum diatribis ex physiologico aut pathologico fonte inexhausto hypothetice deprômptis. Haec vobis, sapientissimis in arte magistris offero; vos candidato humillimo veniam precor concedite.

Literatura.

Febris continua juxta Sauvages, sic habetur: " quae sine exacerbatione partiali et sine accessu non pluries quam semel, vel bis in mense revertens, ad usque finem aegritudinis perseverat,,.

Hae a Linnaeo continentes vocantur cum Scholis medicis plerisque.

Febres continuae juxta Cullen sic definiuntur. "Febres, sine intermissione nec miasmate ortae paludum, sed cum remissionibus et exacerbationibus, parum licet notabilibus perstantes: paroxysmis, quovis die, binis,,. Typhus juxta Cullen est "morbus contagiosus; calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae,,. Idem auctor in adnotatione ad Sp. I. Typhi sic ait: Morbos gradu solum differentes, nominibus diversis insignire nequaquam convenit; cum autem nuperis temporibus apud medicos usitatum sit, febrem quamdam quasi ab aliis quibusvis differentem nomine *febris nervosae* appellare: huic opinioni quodammodo morem gerens, sub titulo *Typhi mitioris*, variorum auctorum febres ad recentiorum nervosas aliquomodo referendas recensui. In hac re autem, cum limites neutiquam accurate ponendi sint, me accuratum fuisse non dixerim.

4 3 6

Minus adhuc placuit ad mentem vel veterum vel recentiorum inter febrium genera, aliquod sub nomine febris *putridae* recensere. In omni *typho* humorum in putredinem proclivitatem adesse puto; sed vario tantum gradu adest, ita ut major minorve putredo speciem variare, nequaquam mutare possit. Sufficiat sub titulo *Typhi gravioris* eas, quas, praesertim putridae appellatae sunt , febres indigitasse, uti ex appositis variorum auctorum appellationibus satis patebit.

Febris maligna hectica sive lues νευρωδης convulsiva. Willis de morb. convuls. Cap. VIII.

In Adnotatione Cullenii pag. 20 Nosologiae methodicae, haec inveniuntur. " Hoc est exemplum, ,, ni fallor, primum appellationis Νευρωδης, vel ner- ,, vosae, febribus quibusvis datae; quam protinus ,, Angli, non tamen nisi nuper admodum aliarum ,, regionum medici, usurpati sunt ,,. " Synochus ,, juxta Cullen morbus contagiosus. Febris ex Sy- ,, nocha et Typho composita, initio synocha; pro- ,, gressu et versus finem typhus ,,. Ratione habita hujus argumenti idem auctor sic se expressit. " Plures febres nec inflammatorias, nec nervosas ex omni parte esse; scilicet nec synochos, nec typhos. Non adest limes intra typhum et synochum, ve saltem limites accuratos ponere non possumus ,,.

Febris lenta nervosa Huxhamii est febris continentis genus, quod ultra duas aut tres hebdomadas extenditur, cum calore, urina, et pulsu, quoad cre-

britatem sanorum quasi similibus, corporis interim totius viribus valde languentibus. Dicitur nervosa ex eo quod nervos et cerebrum afficit; lenta quod lento et tardo fere passu incedit. Hic est typus febrium nervosarum Anglorum, quapropter haec tantum definitio pro aliis omnibus sufficiat.

Videtur clariss. Burserium febres intermittentes nervosas exclusisse, hasque tantum ad continuas continentes retulisse.

Continuas continentes appellat eas febres quae uno quasi circuitu sua stadia, sive tempora percurrunt et συνοχοι a Graecis dicuntur.

Continuae continentis species juxta eumdem recensentur: 1. Ephemera maligna. 2. Synochus simplex sive synocha. 3. Synochus putris veterum. 4. Febris nervosa lenta maligna passim dicta, quae est febris pestilens Fracastorii: Maligna cacoethes sive mali moris Bellinii: Lenta aut hectica nervosa Willisii. Maligna Fisezii. Lenta nervosa Huxhamii et Anglorum. Pessimi moris Morgagni. Lenta acuta sive nervosa De Meza. 5. Febris hectica.

In Epitome de curandis hominum morbis Joh. Petri Frank, invenimus.

Ad Ord. I. Gen. I. Febrem periodicam intermittentem legitimam nervosam ex specifica nervorum affectione orientem; postea ad Ord. II. Gen. I. Febrem continuam nervosam a sola nervorum sensilitate mutata incedentem cum causis manifestis non cohaerentem, symptomatibus absque ordine decurrentibus insidiosis..

Hic idem auctor *intermittentis nervosae* tres species exhibet tractandas, scilicet:

Nervosam simplicem et benignam, sat diu sine vitae periculo, et symptomatibus non insidiosis, incedentem.

Nervosam perniciosam, symptomatibus suis aut aperte, aut insidiose vitae minitantem.

Nervosam larvatam sub alterius specie morbi, sive consueto febris symptomate decurrentem.

Continuae nervosae tres alias species dictat, nempe:

Acutam simplicem celeri passu periculosam; *lentam* febriculam in longum tempus insidias struentem.

Acutam, vel lentam nunc saburris, nunc inflammatorio apparatu, nunc exanthematibus complicatam.

Josephus Frank in Ratione Instituti Clinici Ticinensis ad febrium nervosarum classem revocat omnes illas, quae inflammatoriae minime sunt, quaeque a vitio quocumque locali originem non ducunt; uno verbo febres nervosae appellantur ab illo quae a caeteris practicis typhus, synochus, febris gastrico-nervosa, vel putrida, dicuntur.

Circa febres a clariss. Pinelio descriptas, quatuor ultimi ordines summopere huic dissertationi intersunt, scilicet adeno-meningeae, adynamicae, ataxicae, et adeno-nervosae, sed in sequentibus probandum occurret primum etiam et secundum ordinem nempe angiotenicas et meningo-gastricas valde interesse; nam sympathicae semper, nusquam idiopathicae considerari queunt.

SYNONIMIA.

Typhus

Febris putrida nervosa Wintringhii Com. Nosologico ad an. 1720—21.

Febris lenta nervosa Huxhamii, *on fevers* chap. VIII. Edit. Med. Essenii. T. 2. pag. 18. T. 4–23. T. 5–48. Macbride pag. 304., Soc. Roy. Mem. I. pag. 23.

Typhus nervosus. Sauvages Sp. II.

—— comatosus. Sp. III.

Triteophya Typhodes. Manzet. S. sp. II. Raymond Fortunatus de febribus pag. 24. Macbride 304.

Febris pestilens. Petrus Salius Diversus de febri pestilenti.

—— Aegyptiorum. Alpinus de Medicina Aegyptiaca, lib. I. Cap. 14.

—— Maligna. Sennerti de febribus lib. 4. Cap. 10.

—— Maligna pestilens Riverii, lib. 17. Sect. III. Cap. I.

—— Pestilens maligna an. 1643. Willis de feb. cap. 14.

—— Senegallensis Londini. Med. Observationes 2. Cap. 21.

—— Nautica pestilentialis Huxham de aere ad an. 1740.

—— Miliaris nautica Sauvag Sp. g.

Febris putrida contagiosa in carceribus genita. Huxham de aere ad an. 1742.

—— Miliaris purpurata Sauvag. Sp. h.

—— Carcerum et nosocomiorum. Pringle Diseases of the army p. 294. Van-Swieten. Maladies des armées p. 136. Societé Royale II. Mem. p. 53. III. Mem. p. 45.

—— Castrensis, quam vulgo cephalalgiam epidemicam vocant Henr. Maii et Ant. Philip. Koph. Diss. apud Hallerum tom. V.

—— Hungarica sive castrensis. Juncher 74. et plurium auctorum.

—— Castrensis Gallorum in Bohemia an. 1742. Scrinci Diss. apud Hallerum tom. V.

—— Petechialis Sennerti lib. IV. cap. 13. Riverii prax. Lib. 17. sect. III. Caput I. Hoffmann II. p. h. 84. Juncher 73. Huxham on fevers Chap. 8. Ludwig, Instit. medic. clin. N. 146. Schreiber von erkentness und cur der Krankheiten p. 126. Monro, Diseases of militars hospitalys p. 1.

—— Putrida Macbride p. 305.

—— Putrida biliosa 1769. de Martens cap. 2.

—— Putrida nervosa 1770. de Martens cap. 3.

Typhus aegyptiacus. Sauvag. sp. 6.

Cephalitis epidemica an. 1510. Sauvag. sp. 6.

Typhus carcerum Sauvag. sp. 1.

castrensis Sauvag. sp. 5.

1. *Exponuntur aliquot argumenta de indole atque exitu.*

Ut recto ordine progrediamur in hoc pertractando argumento, praemissis variis febris nervosae auctorum definitionibus, de febris ejusdem indole atque exitu nonnulla exponere, opportunum recensemus. Quot sunt scriptores, qui temporibus ab antiquissimis febrium essentialium doctrinam exposuerunt, tot sunt eorum sententiae typi continui continentis ratione habita; et revera in eorumdem scriptis febres nervosas essentiales ad continentium classem relatas esse censemus. In eo vero omnes conveniunt typum continuo-continentem theoreticum tantum exstare, eo quod nusquam ad aegrotantium lectulos reperiuntur morbi febriles, qui exactissime a principio ad finem usque eamdem servent vehementiam, eumdemque gradum. Hoc asserere non dubitamus de nervosis febribus et praecipue de nervosa lenta Huxhamii, de versatili et stupida Frankii, quae semper remissionem matutinam exserunt, servata vespertina exasperatione a stadio incrementi usque ad convalescentiam et finem. Ita, ratione habita typi, dicendum jugiter erit, continuo remittentem pro febrium nervosarum indole haberi, ut recte diagnosim instituere valeamus. Sed nuperrime diximus exasperationes vespertinas esse, matutinas remissiones, neque immerito; nam observatum fuit a clinicis cephalalgiam, aurium tinnitum, delirium, comata, a-

liaque acutorum morborum phaenomena in nocte inviluisse, quod certe observari nequit nisi cujusque exasperationis incrementum inter vesperam et mane limites figat. Et in hoc etiam alius indolis nervosarum, character recensendus erit. Neque sufficit typum ejusque formam et gradum statuisse, ut nervosarum indoles habeatur; consideranda erit quoque organismi in istiusmodi febri conditio, quod supremum sistit diagnosis elementum. Qualia nervosa phaenomena auctores exhibent, hallucinationem nempe, delirium, visus obnubilationem, aurium tinnitum et bombum, linguae siccitatem nigritiemque, epigastralgiam et alia, utque phaenomena explicari possint, sensoriam vim in uno tantum systemate collocando, systematis nervosi solummodo conditionem in causa esse asseruere. Hoc grande naturae systema, namque mysterio incomprehensibili in suis functionibus tegitur, variis disputationibus a medicinae usque incunabulis ansam praebuit, neque post tantos labores usque adhuc scimus, quae sit istius actio praecipua in vitae functionibus dirigendis. Diviserunt neoterici systema nervosum in illud vitae animalis, vitaeque organicae, considerando aliam esse functionem systematis ut animi voluntati et menti respondeat, aliamque esse illam quae vegetationi tantum praeest, ab embryone usque ad extinctionem vitae. Ab ista divisione facile est distinguere qualis sit influxus cerebri supra organa, qualisque sit causarum externarum actio per impressiones ad centrum maximum. Si itaque in

quibuslibet aegrotantibus organa interna abdominis et thoracis ab initio morbi patiuntur; si phaenomena nervosa sic dicta in morborum initio neutiquam deprehenduntur, quis unquam asserere dubitaverit conditionem pathologicam organorum imi ventris et thoracis conditionem nervorum praecedere, et aegrotare, priusquam encephalum et ganglia corripiantur? In hoc consistit indoles praecipua nervosarum febrium scriptorum; clinicique ipsi solent ad aegrotantium lectulos in morbi, vel gastrici, vel inflammatorii, vel alius generis curriculo, quando phaenomena ista percipiunt, de mutatione morbi in nervosum asserere. Hinc patet nervosarum febrium conditionem ab aliis morbis, vel, ut melius dicam, morborum elementis, initium ducere.

Aliquis forsan instare posset, nos gratis asserere typum istarum febrium, continuo-remittentem esse, et hac ipsa ratione exasperationes fieri vespertinas, remissiones matutinas. Huic objectioni licebit aliqua opponere, quae obvia in naturae phaenomenis inveniuntur. Si consideremus universum naturae systema, leges scilicet physicas, quibus omnia obediunt corpora, haec inter et illud vinculum quoddam necessarium esse observamus, secus fractus illaberetur orbis. Hoc vinculum praescribit medico homines tam sanos, quam aegrotantes naturae universae imperio, subjectos recensere; sed magis etiam sub morbosa cujuscumque conditione. Dies, et nox, meteorae, aliaque omnia universi phaenomena typum servant et invenimus in aegrotantibus typum

quotidianum et tertianum sicuti vidimus in atmosphaera quando ningit, fulgurat et pluit. Sed quis unquam observavit in hisce omnibus eumdem gradum, eamdemque vehementiam! Crescit et decrescit pluvia; crescit et decrescit nix; crescunt et decrescunt aquae, quae terrae superficiem inundant; nequaquam vero ad eamdem altitudinem observantur. Ita morbi initium ducunt a levi horripilatione et frigore, a levissimo capitis dolore, oscitatione, pandiculatione et aliis; sed homo qui hisce phaenomenis perdurantibus stare potuerat, iisdem crescentibus decubitum petit ab eoque cogitur; et quidem morbus jam incoepit et leviter, et qualis nunc est, ita solet desinere.

Nonnulla de exitu.

Omnes febres nervosae sicuti et alii morbi, vel in mortem, vel in sanitatem, vel in alium morbum, vel in recidivam desinunt; sed febres ipsae relinquunt hebetudinem capitis, lucis intolerantiam, cophosim, baryecoiam, vel etiam oxyecoiam, sensilitatem summam olfactus et gustus, eo quod istorum organorum superficies quae crusta operiebatur et in exitu hanc amisit, extremitates nervorum nudissimas causis externis exhibet. Remanet adhuc meteorismus, ventris obstipatio; persentiuntur borborygmi, digestio fit languida, appetitus serius viget, urinae minguntur frequenter ob spasmum membranarum omnium systematis uropojetici, vis muscularis languet, et incessus aegrotanti difficulter per-

mittitur. Facultates intellectuales hebetudine detinentur, quapropter idearum confusio, attentio difficilis, abstractio nulla, ejusque impotentia. Concludendum itaque est laesionem systematis nervosi maxime profundam fuisse; nam phaenomenorum praegressorum oscillationes etiam in convalescentia observantur.

Apparatus phaenomenologicus febrium nervosae lentae Huxhamii, nervosae stupidae et versatilis Frankii, summatim et comparatione expositus.

Symptomata quae formam harum febrium specificam referunt, ordine quo observantur, exponere supervacaneum prorsus esse cogitavi; nam harum febrium historiae apud auctores qui eas descripserunt, latissime et cuique patent. Melius ergo esse censui summatim phaenomena praecipua indicare, sed quod summopere interest, comparationem inter unam et aliam exhibere, ut argumentum quod mihi proposui, fusius solvatur. Hac methodo fortasse concludere licebit, minimum esse discrimen inter hasce aegritudines, conditionis ratione habita; quod si magnum adsit inter formas, has tribuere necessario debemus vicissitudinibus atmosphaericis, variis temperamentis et rationibus epidemicis hinc illinc grassantibus.

Ad phaenomena rite exponenda, ordinem anatomicum servabimus, sicut ille qui vulgo etiam medicorum patet, neque differentias magni ponderis admittit.

Caput, quod namque centrum maximum nervo-

rum in se continet, in quo cogitationis et voluntatis imperium proditur, primaria exhibet phaenomena, in quibus functionum tam mentis, quam voluntatis laesiones primum locum tenent. Pusillanimis itaque aegrotans, morosus, tristis, sub primis morbi diebus a nervosa versatili correptus observatur, et nervosa stupida detentus animi moerore et stupida indifferentia degit. In stadio primo nervosae lentae, toedium, apathia, voluntatis inertia, animi desponsio, obnubilatio mentis, desipientia, observanda veniunt; spectra vexant miserum, idearumque simulacra; in stadio secundo vero haec vel perseverant, vel extinguuntur, ut majori vi sub tertio denuo adpareant. In ista vero periodo mens moleste afficitur, ab aurium susurru perpetuo obstrepente idearumque confusione; et exterrefacto aegrotante, mens magis laborat, animusque deficit. In quarto delirium et coma sub diarrhaea et sudore evanescunt, et aeger stupidus, sensibusque orbatus, nec strepitus, nec lucem percipit.

In nervosa versatili cephalalgia, vertigo, et temporum pulsatio sub incremento vigent; delirium fit furiosum vel tacitum; vigilia et sopor adsunt; oculorum splendor antea eminens, in sequentibus imminuitur; remanet vero immobilitas cum dolore bulbi atque punctione. Lingua fit albescens et sicca; aliove in casu naturális, sed tremula; aurium sensus nunc obtusus, nunc acutissimus decernitur; haemorrhagia narium et parotitis, capitis phaenomenis finem imponit. In nervosa stupida sensuum et

motuum stupor cum aliis nervorum turbis confunditur; os siccum et mucosum aegros molestat; capitis gravedo cum coryza, obnubilatio et temulentia; faciei rubor, genarum livor; insomnia, delirium, aurium susurrus et surditas, scenam ludunt. Oculi rubent sicut et in versatili; nares obturantur quasi fumo nigricantes; dentes sedimento viscido; labia squamis bruneis sub-nigris conspurcata; lingua tremens aridissima et ore protundi jussa, nequit, aut exserta ab aegrotante rerum oblito non retrahitur; verum etiam livet aut rubet et muco flavescente oblinitur. Facies flavo pingitur colore, mussitat aeger, oculos terrifice invertit; collabuntur tempora et sub delirio tranquillo aeger moritur.

In primo stadio lentae Huxhamii, pondus, capitis dolor, constrictio temporum et vertigo apparent; cephalalgia vero praesertim sinciput occupat. Caput magis grave incalescit; aeger agrypnia detinetur, faciesque ipsius rubet. In secunda periodo lingua contremiscit et albo muco obtegitur; tamen non valde arescit nisi in dorso, ubi fusca nigra reperitur et sicca. Ingrediente tertia, genae rubent, cephalalgia, gravedo, vertigo, auriumque bombus crescunt; lingua nunc tota exsiccatur, rubet et finditur; utroque vero ex latere flavedine mucosa conspurcatur. Ex ore producta, ut antea in nervosa stupida observavimus in qua retrahi nequibat, in hac febri tantum tremit et absque siti, sicca et calidissima observatur. Quarta subsequente periodo, dictis phaenomenis perstantibus adjungatur epiphora spon-

tanea. Consideratis itaque considerandis, nemo est qui non videat, phaenomena jam enumerata plus minusve similia esse, et in eo tantum differre, quo major, vel minor morbi gradus et aegrotantis sensilitas plus minusve aucta, adsint. Nunc ad phaenomena quae in cavitate thoracis observanda veniunt, descendamus.

Sola febris nervosa stupida catarrhalia phaenomena exhibet, juxta Frankii descriptionem: in hac ipsa et in versatili sitis ab aegro accusatur aliquo vero discrimine; nam in stupida sitis est magna, vel nulla nisi vini quod plures anxie appetunt, et in versatili liquidorum aversio aut horror contingunt.

In nervosa versatili loquacitas, risus et cantus recurrunt, cujus sub finem aeger non raro perit; vox fit acuta et stridula, fortasse ob vocis violentiam. In nervosa lenta aeger obloquitur aliena sine furore; obmurmurat et verba quasi mutilata profert, quod sub somno, aut quando excutitur e somno utcumque contingit. In stupida et versatili singultus et leipothymiae frequenter occurrunt; in hac vero suspirium, praecordiorum pulsatio; deliquium absque evacuatione praegressa a sola corporis erectione, sputum frequens, spumosum, respirationis difficultas eminent.

Stadium primum nervosae lentae, oscitatione, praecordiorum oppressione, spirandique difficultate incipit. In secundo stadio, sicuti aliquando inflammationis phaenomena apparentia, inexpertos decipere possunt, et sanguinis mittendi necessitatem osten-

dere, ita sanguinem e vena missum observatum fuit crassamento laxo et nigro pollere; secunda adveniente periodo, pectoris oppressio quae in primo observabatur, major denuo comparet et animi deliquio aut syncope comitatur.

Phaenomena quae observanda veniunt in abdominis cavitate, magni sane facienda sunt; nam hujusmodi febres in abdomine initium ducunt, et si mors contingat, abdominis et viscerum ejusdem sphacelus finem imponunt. Symptomata communia tam versatilis quam stupidae, quam lentae sub morbi initio in nausea, vomituritione, vomitu, anorexia, meteorismo, diarrhoea, borborygmis, enterrhagia consistunt. In versatili alvus, vel tarda est, vel inscie faeces elabuntur; in stupida eadem phaenomena occurrunt. Quartum stadium lentae Huxhamii alvi dejectionibus crudis, liquidis, aquosis, colliquativis signatur; ratione habita vero alvi fluxus involuntarii cum aliis convenit. Systema uropojeticum in versatili valde turbatum, urinas multas, pellucidas, aquosas, lacteas aut furfuraceas emittit; in nervosa stupida, crudas, flammeas, rubescentes, rubras, crassas et furfuraceas; in lenta, tenues, limpidas, vel cerevisiae similes, subnigras et furfuraceas: denique in stupida, in versatili et in lenta, enuresis comune est phaenomenon.

Transeamus nunc ad corporis superficiem, ut comparationem inter cutim et tubum gastro-entericum maxime considerandam, instituamus. Cutis consideranda est in functione ejus propria, praeser-

tim scilicet in perspiratione sensibili atque insensibili, quam ultimam nobis non licet investigare, nisi nutritionis processus ratione habita. Perspiratio sensibilis sive sudor varias exhibet phases in omni febrium stadio, et plerumque sudor initium exasperationis, et finem ejusdem sive remissionem sequitur. Diximus initium exasperationis, quoniam non raro est observare sudores frigidos, olidos, fixos, quamvis ingravescente morbo, cutis superficie frigescat. Hoc interpretatum sit de morbis nervosis acutis.

In nervosa stupida, laxa fit cutis, horrore vagis ignibus intermixto deprehenditur; calor acer, urens et siccus percipitur. Sudores viscidi et vapidi, odorem quemdam fere acidum exhibent, et sub sudoris apparitione cutis peticulis lividis hinc illinc obruitur, quae in posterum frequenter nigrescunt. In versatili sudores viscidi et frigidi fiunt; reliqua perraro observantur.

Prima lentae periodus levi calore et frigore interdum, fervore etiam ad volas manuum insignitur; tertia sudore frontis frigido et dorsi manuum; quarto demum stadio, nona scilicet, decima, duodecima die, sudores breves inaequales profusi frigidi et viscidi in extremitatibus accidunt. Haec vero omnia sicuti in aliis stadiis observavimus, cum alvi dejectionibus progrediuntur; imo vero si sudores colliquativi fiant, faeces quoque colliquativae apparent. Remanet nunc ut de phaenomenis in artubus observandis sermonem faciamus.

Sicuti in artubus praesertim organa motus exstant,

quibus incedimus, stamus, aliaque gymnastica exercitia impendimus; ita in hisce virium vitalium gradus investigare solent medici, quae melius innotescunt in aegrotantis decubitus observatione. Peritum quemlibet clinicum non latet sub colicis doloribus aegrotantes languere ita, ut impossibile iisdem sit nec motum quemdam quamvis minimum exercere; quod si ita contingat, quid mirum si in nervosis febribus in quibus tubus gastro-entericus summopere irritatur et languet, virium etiam dejectio in promptu sit, morbumque sequi? Nunc in sequentibus an verum sit, videbimus.

Nervosa stupida, virium languore, manuum tremore, tendinum subsultu, notatur: decubitus in dorsum, divaricatis inverecunde cruribus, devoluto ad pedes corpore fere plumbeo, ut Frankii verbis utar, conspicitur. Carphologia in incrementi stadio eminet; fugiendi conatus frequens, sed impotens; extremitates frigent, et convulsiones non desunt.

In versatili manuum tremor, jactatio et concussio levis, convulsiones et tetanus notas primarias faciunt. Stadium primum lentae, fractura virium et frigore extremitatum increscit. In secundo moveri piget aeger, tendinum subsultu et manuum tremore corripitur. In quarto extrema frigent, ungues pallent et livent, artuum spasmus mortalis.

Neque praetermittenda sunt signa quae ex pulsubus haurire solet Medicus, quamvis variabilia et infida ab eodem dignoscantur. Suppressi, sed fre-

quentes et sat pleni scenam stupidae aperiunt; frequentes et celeres augent, exiles, tardi, contracti et tensi sub initio versatilis percipiuntur indeque variabilissimi, vacillantes, intermittentes sub digitis quando animus e corpore exit. Crebri, celeres, languidi, inordinati in stadio primo lentae observantur; parvi, celeres, lenti, intermittentes, fluctuant et vacillant in quarto; et sic aeger viribus paullatim depauperatus ad gangraenam intestinorum atque sphacelum properat proficisci.

Aethiologica epitome febrium hujusmodi in genere.

Systema gastro-entericum in quo alimenta ingeruntur et digestionem subeunt, ope systematis nervosi vitae organicae, vinculum summum cum medulla spinali oblongata cum cerebello et encephalo retinet, quod certe tam nutritioni, quam assimilationi favet atque praeest. Nullum fortasse morbum in praxi medica habemus, qui numquam directe, vel indirecte systema gastro-entericum in consensum trahat; superficies enim intestinalis a pharinge ad anum, impressionibus alimentorum, potuum et aeris obnoxia, has ipsas impressiones encephalo transmittit, quod viscus postea ad varia organa cavitatum remittit per functionem illam quae a clariss. Broussais *innervation* appellatur. Si ergo tubum gastro-entericum quotidianis impressionibus externis obnoxium vidimus, difficile pariter erit hoc ipsum illaesum in morbis quibuslibet supponere, cum

scimus hoc systema centro ganglioso magni sympathici obnoxium, supra omnem vitam influere. Auctores quidam febrium essentialium doctrinam colentes, ens pathologicum in quacumque febri faciebant, et quae in tubo-gastro-enterico per symptomata gastrica observabantur, complicationem appellabant, et putabant eamdem a febri differre, cujus veritatem dignoscimus legendo illos cogitare gastricam complicationem debellari posse, febrimque continuare. Ob hunc errorem, epigastralgia, dolores colici, tormina, borborygmi, meteorismus, diarrhoea, linguae rubedo et sitis pro reliquiis gastricae complicationis accipiebantur, et sic irritationem gastro-enteriticam negligendo, haec irritatio per membranarum sympathiam nervorumque ad encephalum deferebatur, nervosas febres constituendo, erroribus medicorum tribuendas. Clarissimus Richerand cognitionibus sui temporis fidem faciens, virium oppressionem a fractura, languore, prostratione, syderatione, ataxia distinxit, quasi in quibuslibet morbis, gradus virium entitatem morbi fecisset, et organa illaesa semper se se conservassent. Hinc factum est, ut clinici Brunonianae praesertim scholae addicti, statim ac febres nervosas definiebant, illico chinam-chinam, castoreum, moschum, arnicam, serpentariam, contrajervam, camphoram et alia plura, sub specioso titulo antispasmodicorum aegris miserrimis porrigebant; et hac damnanda methodo incitamentum gastro-entericum augendo, phaenomena nervosa ultro crescebant, et sepulcrorum nu-

merus augebatur. Proh mehercle! nec unus quidem clinicorum sanguinis congestionem videbat, quamvis natura ipsa sapientissima haemorrhagias varias provocando, et his ipsis curam faciendo, viam medicis sternebat et amplius. Et revera nostris hisce temporibus, si quando negligentiae aegrotantis causa vel medentis irritatio gastrica augeatur et nevrosim pariat statim hirudinibus epigastrio, abdomini, ano, et occipiti applicatis, phaenomena nervosa prodigialiter cessare vidimus, et sic crisim beneficam ciendo, congestiones solvimus, quae spasmum ob fibrarum rigiditatem productum augere valebant. Est ergo, ut concludere ex hisce dictis possimus, aethiologica conditio nervosarum febrium illa tantum tubi gastro-enterici irritatio quae aucta per sympathiam membranarum et nervorum consensum ad meninges transfertur, quapropter omnia phaenomena nervosa in hisce casibus ad arachnoitidem vel basis, vel sincipitis reducenda erunt.

Causarum omnium influxus directe sumptus sicuti apparatus symptomatici, longe diversi, occasio.

Causae omnes irritationem gastro-entericam provocantes, quas antea vidimus generare posse nervosas febres auctorum, generatim sumptae alios quoque morbos promovere possunt, quando ad apicem actionis propriae nondum perveniant. Ita videmus colluviem gastricam auctam vires digestionis perturbantem, novam prorsus assimilationem gignere,

qua de causa alimenta ad dignitatem organicam non elata, ad assimilationem animalium classis inferioris reducuntur, unde vermium generatio equivoca et eorumdem plures species. Clinicos omnes non latet, ex verminatione vel helminthiasi, choream sancti Viti, epilepsiam, strabismum, tetanum, crampum, cephalalgias acutas, vertiginem, aliaque hujus generis originem trahere. Si ergo colluviem gastricam negligant medentes, statim ac neglecta degener facta, phaenomena quae mitiora in causa sunt, graviora fieri queunt et ad nevrosim acutam accedunt; itaque febris nervosa subsequens differt nonnisi gradu. Dantur etiam circumstantiae nonnullae, in quibus per gastricam colluviem degenerem, perque virium vitalium perturbationem, alia prorsus diversa assimilatio procreatur, unde antiquiores medici humoristae acidula et alkalescentia in excretionibus invisere, quod sane observationi non repugnat; nam datum fuit observationibus nonnullis acidi prussici genesim in corpore humano detegere, experientia chemica et adynamia summa corporis comprobatam!

Contagia ipsa quae semper semperque ex humorum animalium assimilatione gignuntur, Clinico sagaci non repugnat a falsa assimilatione originem trahere, unde nosocomiales febres, navales, carcerariae, castrenses, quae disputationibus acerrimis ansam qualibet medicinae epocha praebuere. Hoc in casu explicatur putrida maligna auctorum; explicantur typhi sporadici, febresque typhodes, ady-

namicae, ataxicae, quae contactus ope in populum propagatae, sporadicos morbos in epidemicos converterunt. Hoc in causa fuit cur medicinae practicae scriptores nervosas febres ad contagia retulere, et contagiones ad nervosas. Quod sane confirmat peticularum eruptio, vibicum atque sugillationum vel ecchymosium jam antea a nobis in symptomatum descriptione, notata. Hinc concludendum est, nervosa phaenomena nil aliud nisi irritationis auctae a tubo gastro enterico ad encephalum productae, effectus esse; qua de causa omnes reducendae sunt, neque contagionibus exceptis, ad secundarias systematis utriusque nervosi affectiones.

Theoriae Broussais juxta febres expositio et confutatio. Excludenda est nevritis absoluta, et admittenda irritatio nervosa producta, quae aliquibus in circumstantiis phlogosim irritativam gignere potest.

Clariss. Broussais in suis propositionibus Pathologicis, quae praecedunt opus ejus celeberrimum cui titulus " *Examen des doctrines medicales et des systêmes de Nosologie; Troisième Edition.* Paris 1827; exposuit plura principia ad lectulum aegrotantis veluti fundamentum Therapiae exhibentia, quorum nunc nobis erit investigationem instituere, ut clarius deuteropathia nervosarum febrium elucescat, earumque protopathica essentia in medicorum mente destruatur. Ait ille " l'exaltation commence toujours par un systême organique,

et se communique à d'autres, soit dans le même appareil, soit ailleurs ,,. Febrium nervosarum initium ab apparenti gastrismo vel biliosa colluvie ducitur, quod sane in tubo gastro-enterico observatur et est; incipit ergo ab hoc systemate et systemati nervoso communicatur, id quod ex praxi resultat. "La sur-excitation partielle, suppose toujours un appel trop considérable de fluides; il y a donc congestion préjudiciable à l'exercice des fonctions dans toute sur-excitation. C'est une congestion morbide ,,. Si in febribus gastricis superexcitetur mucosa gastro-enterica, nil dubium remanet quin congestio efficiatur; probant congestionem epigastrii tensio, epigastralgia et levamen quod obtinemus hirudinum applicatione. "Les nerfs sont les seuls agents de la transmission de l'irritation; ce qui constitue les sympathies morbides. Les sympathies morbides s'opérent donc de la même manière que les sympathies de l'état de santé; elles n'en diffèrent qu' en ce que dans ce dernier cas les nerfs transmettent plus d'irritation, ou un mode d'excitation qui répugne aux lois vitales ,,. Nervi igitur sicuti in statu sanitatis, ita et in morbis influxum proprium per sympathiam exercent; videtur hinc nil melius comprobare posse febrium nervosarum constitutionem quam hoc physico-pathologicum principium; nam superficierum relationis ope, gastro-enterica irritatio ad meninges transit. Sympathiae morbosae duas species enumerat ille; species secunda quae nobis magis interest, est illa quae manifesta

fit doloribus, convulsionibus musculorum qui voluntati inserviunt, mentisque aberrationibus. Hac methodo fere omnes morbi nervosi ad sympathiam reducendi essent; sed habemus etiam encephalitidem ac meningitidem primariam, que originem ducit a calore nimio, a solis radiis, a causis traumaticis, quibus in morbis idiopathia potiusquam sympathia consideranda est.

Crises nervosarum febrium quae tot medicinae temporibus imperium dirum exercebant, irritationibus iisdem sympathicis tribuit clariss. Auctor: sic inquit ille: "Si les irritations sympathiques que les principaux viscères déterminent dans les organes sécréteurs exhalants et à la périférie deviennent plus fortes que celle de ces viscères, ceux-ci sont délivrés de la leur, et la maladie se termine par une prompte guérison: ce sont les crises. Dans ces cas, l'irritation, marche de l'intérieur à l'extérieur,,. Quondam celeberrimi Hippocraticae doctrinae sectatores, pathologiae humoristicae addicti, perturbationem humorum admiscerunt, ob quam pravi humores excretionum viam seligebant, morboso processu ad coctionem pervento. Quando haec vigebant principia, physiologicae leges non nisi ruditer agnoscebantur, et quidem ob anatomicarum ignorantiam. Quis ergo nostris hisce temporibus sub tanto scientiarum lumine ignorat sympathiae leges, ob quas secretio ex. gr. vicaria producitur, sub quo nomine functiones multae perturbatae explicari queunt? Perturbata assimilatione, perturbantur elementa, neque istorum

aliquod viam a natura ipsa praescriptam seligere potest. Haec est ratio sudoris olidi viscosi, haec est ratio lotii turbulenti, haec est uno verbo causa primaria excretionum criticarum.

" L'inflammation, continuat Broussais, excite souvent de sympathies de relation, qui sont devenues pour les auteurs les phénomènes predominantes, et ont fait donner à la maladie le nom de nevrose ,,.

Inflammatio praecipua quae instar exempli exhibenda est ad nervosarum febrium pathogeniam intelligendam, gastro-enteritis est, quae nunquam deest quando de colluvie gastrica, biliosa, verminosa agitur. Haec incitat encephalum; delirium, hallucinationem parit, aliaque phoenomena ciet, quae praecipua indicantur ad nervosas febres dignoscendas. Si in istis aegritudinibus sola medici attentio ad fomitem pathologicum sive ad systema gastro-entericum dirigeretur, nervosa cessarent phaenomena, ob logicum principium, ablata causa, tollitur effectus. Verum est quod " l'excès de cette symphatie se convertit en encéphalite ,, sed verum quoque est, quod tempus concedi jubet hic morbosus processus: et fortasse antispasmodicorum, incitantium usus, qui uti sola medela in hisce casubus habetur, encephalitidis consequentis causa esse solet. Dixit auctor alio in loco " Les irritations intenses de tous les organes sont constamment transmises à l'estomac au moment de leur début; il en résulte inappétence, altération de la couleur de la langue et du mucus lingual; si l'irritation reçue par l'estomac s'élève au

degré de l'inflammation, on voit les symptomes de la gastrite, et comme le cerveau est toujours plus irrité, il développe à un plus haut degré les sympathies qui lui sont propres, et peut méme s'enflammer.

In hoc omnino consistit pathogenia nervosarum febrium, quod omnes juxta Broussais theoriam non immerito ad gastritidem et ad irritationem encephalo comunicatam, referuntur. Dicent fortasse aliqui, febrim existere; neque neganda est febris; nam irritationes omnes ad cor etiam transmittuntur et tunc magis celerem circulationem promovet; calor cutis augetur atque molestiam producit, haecque est vera febris, quamvis non negamus considerata sit hoc in casu modo generali et abstracto. Febris ergo nonnisi effectus irritationis cordis primariae aut sympathicae recensenda est.

Nobis antea proposuimus excludendam esse nevritidem absolutam et admittendam esse irritationem nervosam quae aliquibus in circumstantiis phlogosim irritativam gignere potest. Et revera si nevritidem absolutam admittere velimus, haberemus semper inflammationem nevrilematis nervorum quae est prorsus incerta; nam cadaverum autopsiae hanc ipsam minime patefaciunt, vel uti melius dicam sensus nostri usque adhuc non perveniunt ad eam in cadaveribus distinguendam. Quaesiverunt pathologi inflammationem thalamorum nervi optici, ganglii semilunaris, centri gangliosi magni symphatici, plexuum caeliacorum,aliorumve,et quid invenerunt? In-

venerunt fortasse aliquo in casu colorem rubrum in membranis adscititiis gangliorum et membranis ipsis oblatis superficiem etiam nervilematis etiam rubram adparuit. Sed hoc, an signum indubium est inflammationis?

Vasa minima pertinent ad involucra nervorum, eaque ipsa vasa rubra quoque in statu sanitatis recensentur. Sed relicta observatione ex Anatomia pathologica deducta, quae erunt symptomata inflammationis nervorum, si surcula et ganglia ex aliis textubus involuta disjungi minime possint, quamvis cultro anatomico subtili peritus sector ea investiget? Confundenda facilius sunt phaenomena nevritidis cum aliis morbis, quam distinguenda; quod si nevritis absoluta admittenda esset, concludere audeo hoc dilemmate: vel omnes morbi sunt nervosi, vel non sunt. Nam sensatio quaedam molesta in omnibus morbis nonnisi a systemate nervoso repetenda est, et sensatio molesta habetur, quoniam omnes morbo laborantes de dolore conqueruntur; vel non sunt nervosi, considerando nervosum systema passivum semper esse si agatur de impressionibus transmittendis; sed hic status passivus, sicuti ad impressiones pertinet, activus prorsus recensendus est, quia impressionum transmissio, physiologica est functio. Ex hisce dictis igitur fas est intelligere, quod si phaenomena nevritidis a clinico observentur, haec, absque erroris dubio, ad irritationem sympathicam ex alio organo productam reduci queunt.

Quomodo explicari possit deuteropathia febrium nervosarum juxta doctrinam irritationis.

Coluerunt Itali medicinae scriptores et Clinic philosophicam incitamenti Brownoniani divisionem et sectatores facti sunt non absque doctrina et ingenio; sed considerando neque ad hypersthenaiam neque ad hyposthenaiam omnes morbos reduci posse, cogitaverunt aliam praeternaturalem conditionem dynamicam, et theoriam construxerunt, cui doctrinae irritationis nomen impositum fuit. Primi sane fuerunt Bondioli et Guani; sequuti sunt Rubini et Fanzago, quibus adjungenda sunt principia et argumenta Prof. Brera, uti constat ex iis quae leguntur in Ephemeridibus Medicis Doct. Omodei N. 86-87 Februarii et Martii 1824. Consociatur juxta horum auctorum sententiam irritativa conditio, hypersthenicae et hyposthenicae conditioni, sed huic nunquam datum fuit per se diathesim hyposthenicam et hypersthenicam legitimam relinquere. Opinati sunt diathesim irritativam a stimulis inaffinibus productam esse; hypersthenicam et hyposthenicam a stimulis affinibus.

Juxta hoc principium nemo certe non videt Pathologiae solidisticae principia cum elementis humoralis conjungi, quum necesse sit ut irritatio habeatur, heterogeneam materiam supponere, et ut cesset, hanc ipsam e corpore extrudi; scilicet assimilationem perturbari, ob elementorum heteroge-

neorum formationem, quorum actio naturalem renisum vitae minime admittit. Nihil interest hoc in casu quaestiones intra Rubini et Fanzago denuo agitare, videlicet an irritatio censenda sit conditio, vel diathesis; sed nobis tantum interest demonstrare quomodo explicari possit deuteropathia febrium juxta irritationis dictata. En argumentum quod mihi proposui. Recordor me vidisse in Instituto Clinico ubi per duos annos visitationes quotidianas sequutus sum, plures individuos die secunda vel tertia morbi acceptos, notas sequentes habuisse: cephalalgiam frontalem; linguam muco albido obductam, sitim, anorexiam, epigastralgiam, alvi segnitiem, vel alio in casu alvum fluidiorem, pulsus irritatos, frequentes et typum servantes continuo-remittentem. Qui Clinico praeerat, febrem gastricam esse palam aperteque dicebat, neque immerito; nam omnes qui aderant, compertum habuerant nil nisi gastricam irritationem adesse. Recordor etiam hos aegritudinis casus, tertia vel quarta die cathartici ope imminutionem dedisse, sed quinta vel sexta subsequenti aegrum cephalalgia dira, lucis adversatione, narium pruritu, aurium bombo, linguae rubore siccitateque vexari ; quibus omnibus, exasperatione increscente, adjungebatur delirium vel saltem hallucinatio, meteorismus, tendinum subsultus et alia. Hisce rite perpensis, mecumque considerando quanta sit phaenomenorum diversitas ab illis quae primis aderant morbi diebus, arbitratus sum hunc esso verum conspectum febris nervosae auctorum a gastrica dege-

nerata originem sumentis, et de istius deuteropathia semper semperque cogitavi. Mihi inde videtur nil esse magis idoneum ad hanc degenerationem explicandam, quam irritationis doctrinam. Haec enim docet irritationem a stimulis inaffinibus originem ducere; stimuli inaffines hoc in casu erat gastrica colluvies, adjuncta mucosae intestinalis inflammatione; docet assimilationem perturbari, et reapse quomodo assimilatio normalis esse poterat, quum fons nutritionis sive systema gastro-entericum morbo corripiebatur?

Docet insuper irritationem cessare nequaquam posse, nisi stimuli inaffines extrudantur e corpore; et revera ego ipse vidi post crisim aut lysim, morbum imminui, et convalescentiam in promptu esse. Docet tandem irritationem solis suis viribus neque ad hypostheniam nec ad hypersthениam reduci posse, nisi stimulis inaffinibus ablatis; expertus enim sum aegri convalescentiam irritationis characterem quotidie servare et adynamiam apparentem tantum fuisse ex languore nempe digestionis ab irritatione pendente. Consideratis itaque considerandis nil mirum si tot tantique auctores fidem crisibus praestaverunt; quod si temporibus antiquissimis deerat irritationis doctrina, aderat tamen cognitio, febres nervosas cessare non posse, nisi crisis perfecta haberetur.

Quomodo ex ipsa methodo therapeutica generatim adhibita, explicari possit Deuteropathia potiusquam Protopathia.

Fateamur oportet, omnes provectiores medicos in curandis febribus nervosis bonos hausisse effectus ex methodo therapeutica quam adhibuerunt; loquimur enim de medicis a quibus non admittitur nervosarum deuteropathia. Sed observandum est, perpaucos aegros sanos evasisse quando malignis ataxicis aut adynamicis correpti fuerunt; quod si aliquis ad convalescentiam per accidens properavit, hunc certe fatendum est bona organica compage praeditum fuisse, atque viscerum integritate gaudere. Confirmat hanc sententiam ingens mortuorum numerus, qui in nosographicis tabulis Nosocomiorum totius Europae invenitur. Hinc intelligimus quam pessima fuisset transactis temporibus febrium malignarum, putridarum, ataxicarum, adynamicarumque epidemia. Jam omnes sciunt qui ad lectulos aegrotantium candidati etiam accedunt, normam extitisse temporibus praeteritis, istiusmodi febres statim ac explicantur, antispasmodicis sic dictis pertractare, medicosque omnes serpentaria virginiana, contrajerva, moscho, camphora, china-china uti consuevisse. Nos in praesens quaestionem instituere nolumus an dicta remedia incitanti, deprimenti, aut alia dynamica actione polleant, et hoc libenter aliis quaestionum vagis et querulis relinquimus. Sat ergo, ut con-

sueverunt omnes declarare, istorum remediorum actio est plane incitans, eo magis quo sensuum organorum usus nobis satis indicat haec remedia incitanti virtute pollere; nam aromata exhilarantia et concinnum possident. Videamus nunc quo modo haec remedia agi consuescant. Statim ac febris nervosa sic dicta evolvitur, tunc Medicus prudens cathartica et diluentia relinquit, et ad haec remedia confugit. Inveniuntur hoc in casu phaenomena gastritidis vel gastro-enteritidis nondum superatae, et recensentur phaenomena irritationis encephalicae ab irradiatione producta. Si ergo huic incitationi gastro-entericae incitamenta nova addantur, quid expectandum in sequentibus erit? Exasperatur gastritis: abdomen magis turget; febris violentior fit, delirium augetur, sudor profusus fit aliquando, non negamus, sed absque levamine aegrotantis effluit, urinae antea spasticae, flammeae et turbidae fiunt; dejectiones alvinae augentur vel imminuuntur; pulsus fit celer, posteaque languor succedit, in quo languore medicorum error praecipuus consistit. Ita phaenomenorum augmentum indicationem incitantium magis auget, sed natura optima semper medicatrix, insipientis medici vices gerit et prudens meliorem curam viribus suis instituit. Ita notum illud Boerhaavianum axioma, ubi irritatio ibi sanguinis affluxus luce meridiana fulget, et quod ars excipere nesciebat, organismi vires quamvis irritatae, jura propria denuo acquirunt. Hoc modo cedunt nervosa encepalica phaenomena eodem tempore quo artificialis ir-

ritatio in symptomate gastro-enterico habetur; quod si agatur de constitutione valde debili, resolutionis loco, intestinorum gangraena resultat et aeger moritur. Cadaverum autopsiae frequenter nimis institutae verum hoc esse confirmant. Ponamus aegrotantem resolutione inflammationis naturae auxilio gaudere, et ad convalescentiam properare. Haec certe non impune perficitur. Persistunt reliquiae gastro-enteritidis; lingua rubere continuat; dyspepsia et borborygmis in convalescentia aeger detinetur, et longum post stadium infirma valetudine peractum, digestionis vires (praesertim quando infirmus aetate sit provecta) non amplius restaurantur. Vidimus enim post tot tantasque typhicas epidemias nuperrime cessantes, vidimus inquam, gastro-enteritidis violentioris reliquias in aegrotantibus, quorum plurimi si fides nosocomiorum medicis habenda sit, in hydrope diro lethalem finem invenere. Ex hisce allatis facile est desumere, quod si febres primariae essent, certe ab organo gastro-enterico nunquam pendentes et in sola humorum crasi peractae, hujusmodi laesiones nunquam relinquere potuissent. Secundariae enim sunt et ex irritativae actionis metaschematismo ab encephalo ad stomachum jam demonstrato, fundamentum magis latum proposito nostro adjicimus. Quaerere aliqui possent quomodo explicari possit cerebralis inertia, cophosis, et encephali quasi inanitio post longas febres jam superatas; quibus respondendum esse credimus uti antea jam monuimus, encephali irritationem ejus-

465

que meningum non impune factam fuisse, haecque phaenomena pro irritationis communicatae reliquiis habenda esse.

Conclusio aut Epilogus et corollaria ad praxim spectantia.

Enumeravimus variarum febrium nervosarum scriptorum definitiones, easque exponendo jam probavimus essentiales constitutas fuisse, et ex phaenomenis nervosis, conditionem hujus systematis idiopathicam auctores deduxisse.

Dedimus summatim indolem atque exitum, et hoc articulo sententiae nostrae prooemium fere concessimus, ut gastro-enteritis primaria et irritatio encephali secundaria statuatur. Apparatu phaenomenologico nervosae stupidae, et versatilis Frankii, nervosae lentae Huxhamii, et comparatione inter eas instituta, illustratum argumentum proposuimus ita ut tres hae formae considerandae sint veluti affines et per accidens enatae. Epitome aethiologica harum febrium exposita causarum omnium influxum super systema gastro-entericum illustravimus; hinc patet et patere debuerat nonnisi supra hoc systema causam proximam harum febrium esse censendam.

Caussarum omnium influxus directe sumptus sicuti apparatus symptomatici longe diversi occasio quantum satis et ultra demonstravit nervosas omnes affectiones pro forma tantum inter se differre, et systema nervosum activum potiusquam passivum

fuisse, sicuti communicationis inter organa apparatus.

Exposuimus theoriam Broussais, eamque ut vires nostrae concessere, pro parte confutavimus. Exclusimus nevritidem absolutam, admisimus irritationem nervosam, quae aliquando irritativae phlogosis causa esse potest; quibus auxiliis fulcimentum disceptationi nostrae addidimus.

Non negleximus irritationis theoriam quae sub faustis auspiciis celeb. Bondioli, Guani, Rubini, Fanzago et Brera floruit; et solidis argumentis hujus doctrinae deuteropathiam nervosarum confirmavimus.

Tandem ex ipsa methodo therapeutica a vulgo medicorum adhibita ultro exposuimus, incitantia remedia aliquando sanitatem aegrotantibus restituisse, metaschematismum quasi inter encephalum et gastro-entericum systema statuendo, cujus ope irritatio intestinalis aucta, phaenomenorum nervosi generis imminutionem praebet.

Sequentia igitur corollaria ex se fluunt.

1. Non datur febris nervosa essentialis protopathica, quia aegritudo semper incipit a phaenomenis longe diversis.

2. Systema gastro-entericum semper afficitur et evidenter probatur ex gastricae colluviei symptomatibus, quae olim a provectioribus Medicis uti phaenomena complicationis habebantur.

3. Febris nervosa stupida et versatilis Frankii cum lenta Huxhamii incedit, interque eas non datur nisi formae diversitas.

4. Gastro-enteritidis dominium, juxta Broussais dictata, magis quam status intestinorum adynamicus extenditur, et in doctrina hujus auctoris maximum sententiae nostrae fulcimentum invenitur.

5. Italica irritationis doctrina aeque ac illa Broussais, meridianam lucem a nobis antea expositis, addit.

6. Nisi haberetur compagis organicae optima conditio in aegrotantibus a putridis, malignis, ataxicis, adynamicis febribus correptis et incitanti methodo pertractatis, neque haberetur quoque sanitatis restitutio, cujus propositionis fundamenta in tabulis nosocomiorum mortuariis invenire cuique licebit.

Haec, ut potui, publici juris feci ut studiorum meorum fructum sicuti leges accademicae imperant, exhibeam; mihique in posterum licebit, quod Superi faxint, alias observationes ex praxis deductas addere, ut argumentum hoc magni faciendum, elucescat.

THESES

QUAE PROPONUNTUR CUIQUE IMPUGNANDAE.

I.

Cutis color in morbis pallens, vel flavescens, phlogisticam conditionem non excludit ut vulgo medicorum videtur; imo etiam inflammationes angioiticae et parenchymatosae, istiusmodi cutis colore exasperantur, increscunt.

II.

Apoplexiae nervosae, serosae, sanguineae distinctio floccifacienda in praxi, nam in curationis methodo ab hac nihil redundat.

III.

In quocumque thoracis morbo acuto si quando habeatur cephalalgia remittens et praesertim frontalis, suspicio semper de gastro-enterica affectione adesse debet.

IV.

Colliquationes sudorificae et intestinales phthisi-

corum pendent semper a morbi inflammatorii exitu quocumque, minime vero a statu adynamico, ut communis est opinio.

V.

Vapor aquosus qui in exspiratione habetur, non pendet a mixtione chemica oxygenii cum hydrogenio, sed est vera exsudatio parietum bronchialium.